

Serius missum.

ΕΠΙΤΑΦΙΟΣ ΛΟΓΟΣ.

Ὁ γὰρ ἐν μερόπασσιν ἀρείονα μυσηπόλοισιν

Ἄνδρα καὶ ἔλλογίμοις ἤγε παλῆς πρόβαλεν

Ἥπαρ ὄν ἐνσεβέα θ' ὄσιον λίθος ἄδε καλύπτει

Χρωτὸς, ὀδίτα, ἐνὸς κύδιμα δῶρα βλέπεις.

Στύλος ἀληθείης, πάνυ θεολογίης μέγα κάροτος

Βένθεα παντ' ἰδάη γὰ σοφίης ἱερῆς.

Ἰδμοσύνην, γλαῦτλαν πανθ' Ἑλλάδος ἤθεα ὀδε

Ποιητῶν ἀνθος γνώστος ἠγεμόνων.

Φραζόμενός γε παλαίφαλα θίσφαλα εὐ πολυτέρη


Ὀψίγονον γ' ἀσκῶν παλμυδὸς ἀιδέσιμος.

Ἐττερον ἢ βιατῆ δὲ θεόσσυλος αὐτὸν ἐπῆχεν

Ὀυρατίεε, λείπων δαίγμ' ἀρετῆς ζάθεον.

Monument. hocce pietatis  
pos.

Js. A.



ORATIO

14.

In obitum

VIRI

Summè Reverendi atq; Magnifici

DOMINI, DN.

JOACHIMI  
SALEMANNI,

SS. Theol. Doctoris celeberrimi,  
Ducatus Esthoniæ & Revaliensis Episcopi

meritissimi, Regii Consistorii Præsidis gravissimi,  
atq; Gymnasii Regio-Revaliensis  
Ephori dignissimi,

In Gymnasii dicti Auditorio Majori

Anno 1701. d. 22. Maji

Habita


à

Gabriele Herlino, Reval.

Gymn. alumn.

REVALIÆ, Typis Christophori Brendekenii,  
Gymn. Typogr.

(Tit. præmiss.)



Memoratu dignissima & ad  
inconstantiam rerum humanarum  
delineandam convenientissima e-  
rat figura sceptri, quo laudatissi-  
mus olim Imperator CAROLUS

V. usus fuisse dicitur. In eo enim expressus erat ma-  
sculus manu tabellam tenens, cū epigraphe: STO.  
Infra masculum mures conspiciebantur, qui plan-  
tas ejus arrodebant, cum inscriptione: JACEBIS. Ve-  
rissimum hoc est speculum, in quo rerum huma-  
narum conditionem, & vitæ nostræ imaginem in-  
tueri possumus. Fieri scæpissimè solet, ut homines  
firmiter se stare credant, si variis exornati dotibus  
muneri suo satisfacere posse videntur: Sed præter  
opinionem accidit, ut hujus vitæ molestiis officiiq;  
curis vires consumantur, & qui firmiter sibi stare  
videbatur, dejectus jaceat, & de vitæ statione de-  
pellatur. Hæc ipsa tempora oculis & mente si per-  
lustramus, clarissimum ejus rei exemplum nobis  
obveniet. Ereptus est nobis, ah! ereptus est Vir  
de Ecclesia & literis meritisissimus, cui canorum  
nix venerationem majorem addidit: Ereptus est  
Vir summe Reverendus atq; Magnificus DN. JO-  
ACHIMUS SALEMANNUS, SS. Theol.  
Doctor celeberrimus, Regius Ducatus Esthoniae &  
urbis Revalia Episcopus vigilantissimus, Consisto-  
rii Regii Præses gravissimus, Gymnasiq; Ephorus

*dignissimus*. In quo Ecclesia fidelem Antistitem, & religionis puræ custodem vigilantissimum; Regio decus & ornamentum splendidissimum; Gymnasium Patronum certissimum; omnes deniq; boni iucunditatem suavissimam amiserunt. Stetit hic Vir Optimus inter nos quam laudatissimè, & ad summam usq; senectutem stetit: totamq; suam vitam ad Ecclesiæ & Scholarum utilitatem instituit, atq; ad normam legis divinæ actiones suas omnes conformavit. Verum curæ officii, quas summa constantia sustinuit, corpus defatigarunt; morbi variazq; vitæ calamitates, quas digna Christiano homine patientia toleravit, vires pedetentim exederunt, ut summo cum omnium dolore tandem morte prostratus jaceat. Quemadmodum autem optimum hunc Virum pio prosequimur desiderio: ita gratam ejus memoriam nunquam dimittendam putamus. Ipsa enim nos monet pietas, non esse cum vitæ tempore deponendam, sed cum omni posteritate adæqvandam illorum memoriam, qui virtutum gloriam sempiternæ famæ commendarunt. Quo circa & ego tanti nominis memoriam hodierna luce repetere, & beati DN. EPISCOPI laudes brevi quidē oratione, at devota mente exponere constitui. Quamvis autem hujus Viri Virtus digna sit, quæ vel Tulliana Svada ornatur: attamen de hac non fui sollicitus, neq; pensi habui orationem hanc meam coloribus ornare, cum ipsa Viri hujus gloria

fatis

15  
fatis in oculos incurrat, neq; opus habeat lenocinantis orationis flore vestiri. A Vobis modo, Auditores Omnium Ordinum honoratissimi, ea, qua par est observantia contendo, ut tenuem etiam hanc orationem propter tanti Viri merita benignè audire ne dedignemini.

Ex quo beatus DN. EPISCOPUS ad sacerdotium in hac urbe est admotus, exactam muneris tam sancti rationem habens, tanta vitæ integritate munia sibi demandata est executus, tanta fide & vigilantia animas fidei suæ à Deo commissas, curavit, tanta industria & solertia à primis annis ad ipsam usq; mortem per quadraginta, & quod excurrit, annos curis Ecclesiasticis est perfunctus, ut ipsa, si possent, civitatis moenia & templa sufficientissimè testarentur. Omnes certè boni eum fidelis ministri officia obiisse, boniq; Pastoris partes explevisse haud inviti fatebuntur. Quicquid fuit in Ecclesia vel suscipiendum vel deliberandum, id ille magna cum pietate & prudentia suscepit, incredibili cum constantia sustinuit, & absq; molestia expedivit: In hoc stadio summo cum omnium applausu decurrit. Sedulam hanc officii curationem naturalis ad res sacras tractandas inclinatio excitavit, fidelis parentum ad omnem virtutis cultum informatio adjuvit, verus divini Numinis amor confirmavit. Parentes optimi in prima statim infantia naturalem propensionem ad studia Theologica videntes,

A 3

istam

istam ceu Ducem certissimam secuti successum  
fenserunt felicissimum. Laudanda est ingeniosi Se-  
necæ sententia: Tenenda est, inquit, via, quam na-  
tura præscripsit, nec ab illa declinandum. Illam se-  
quentibus omnia facilia & expedita sunt: contra  
illam viventibus non alia vita est, quam contra a-  
quam navigantibus. Et Tullius: quem potissimum  
vitæ cursum sequi velimus, in hac deliberatione ad  
suam cujusque naturam consilium omne est revocan-  
dum. Secutus est hoc salutare consilium & beatè  
defunctus & optimi ejus parentes. Simulac lucem  
hanc adspexit beatus noster, id quod sexto Iduum  
Februarii anno supra millesimum sexcentissimum  
vigesimo nono contigit, prima parentum cura fuit,  
per baptismum DEO commendare hunc suum fili-  
um, & nomen JOACHIMI ei imponere. Spes  
enim fuit, ut Dominus (quæ vis est vocis Hebrææ)  
talem ex hoc puero virum excitaret, qui Reipubli-  
cæ Christianæ plurimum prodesset, aliisque viam  
ad vitam æternam monstraret. Nec spes ista  
fefellit. Indoles egregia & naturalis ad studia,  
in primisque Theologica, propensio, in prima sta-  
tim ætate quæ elucebat, & sedula parentum  
admonitione & beati patris exemplo egregio  
quotidie excitabatur. Prælucentem enim ha-  
buit parentem dilectissimum, Virum Plurimum  
Reverendum & Amplissimum Dominum, GE-  
ORGIUM SALEMANNUM, qui in hac  
nostra urbe Ecclesiam ad ædem Spiritus San-  
cti

15  
cti collectam salutari verbi divini doctrina e-  
rudiit. Hunc inter primarios numerant no-  
strates, qui Esthonicâ lingvâ excultâ Evange-  
lii faciem inter rudem Esthoniæ plebem clarius  
accendit, & illam ad veram pietatis culturam me-  
lius adduxit. Quo sine etiam B. Lutheri doctri-  
nam Catechetica & cantiones sacras cum pe-  
ricopis Evangelicis & Epistolicis è lingua Germa-  
nica in Esthonicam transtulit, & variis precum  
formulis præscriptis ad Deum accedere docuit.  
Secutus est & ipse pressissimè avi sui cognominis  
Vestigia, Plurimum Reverendi & Clarissimi DN.  
GEORGII SALEMANNI, imperterriti & con-  
stantis Evangelicæ doctrinæ assertoris, qui in  
Pomerania ulteriori summa fide & integritate Ri-  
staviensem & Rezenhagensem fidelium cætum  
rexit & docuit. Nec mater honestissima & vir-  
tutibus sui sexus maximè conspicua, ANNA  
RODE, quicquam domi omisit, quod ad fili-  
um suum bene educandum, quoad equidem ma-  
ternarum fuit partium, pertineret. Sic uterque  
parens indolem, quæ in primo ætatis flore eluxit,  
ingenua educatione excitavit & adjuvit. Ante  
omnia veræ pietatis instillandæ curam sibi quam  
commendatissimam habuerunt, imitati exemplum  
laudatissimum parentum Salvatoris nostri Jesu  
Christi, qui filium suum tenerum in templum se-  
cum abduxerunt, ut à teneris Deum ex animo co-  
lere

lere advesceret. Proxima deinde cura fuit ani-  
mi artibus ingenuis literisq; excolendi. Anno  
namq; ætatis quintô in Scholam urbicam optimo  
consilio miserunt, in literarum studiis, quibus usi-  
bus humanis præparari solet ætas, excolendis ver-  
saturum. Hic facere non possum, quin paucis  
persequar mirandum istum casum, quem Dn.  
parens beati nostri Episcopi eo ipso die & ea i-  
psa ferè hora est expertus, qua filiolum suum  
Præceptoribus formandum tradidit. Domum e-  
nim ex Schola reversus, cum in Museo sedens fi-  
liolum ejusq; studia divinæ benedictioni præcibus  
ardentibus commisisset, accessurus jam ad sua stu-  
dia, vicini ædes collabi audivit: & cum ipse ex vi-  
cini ruina similia suis ædibus forsitan metuens ad  
januam properavit, trabes de contignatione Mu-  
sei decedentes januam ei præcluserunt. Ipse au-  
tem divinâ quasi manu tractus, ad vitandam pul-  
veris excitati molestiam sub lectum se abdidit,  
ibiq; contignatione Musei dimidiam partem  
collapsâ, divino auxilio salvus & incolumis est ser-  
vatus. Qui ad omnia trahere solent, non  
obscurè parentem beati nostri colligere exinde  
potuisse dicent; filiolum huncce suum, quem eo  
ipso tempore divinæ commiserat directioni, ca-  
lamitatum temporalium, quæ plurimæ illum post-  
ea exceperunt, expertem non fore, divina ta-  
men ope ex omnibus feliciter eum eluctaturum  
esse.

15  
esse. Noster interim in Schola literis, quantum qui-  
dem per ætatem teneram licuit, excultus, in hoc no-  
strum Gymnasium ad solidioris doctrinæ messem  
faciendam, concessit. Hic primos adolescentiæ an-  
nos absolvit, haud torpori deditus, sed virtutis &  
eruditionis studiis intentus. Præ commilitonibus  
probitate & diligentia laudem sine invidia invenit,  
& Professorum, quibus se addixit, favorem & bene-  
volentiam sibi collegit. Docebant tunc temporis in  
hoc Musarum delubro *Henricus Vulpius*, Rect. &  
Insp. *Timotheus Polus*, Poës. *Henricus Arningius*,  
Eloq. & Histor. postea Rect. *Georgius Schultzius*,  
Græcæ Lingv: & *Gebhardus Himselius*, Mathem.  
Profess: viri consummatissimi, quorum fama ad-  
huc celebratur clarissima. Horum ab ore beatus  
noster SALEMANNUS pependit, sub iis prima  
studiorum edidit tyrocinia. Primum lingvas, o-  
mnis nostræ eruditionis instrumenta certissima,  
curæ habuit, præcipuè Latinam, quam erudito-  
rum quasi vernaculam, & totius Europæ commu-  
ne quasi vinculum sciebat. Cui, exemplo Ci-  
ceronis, filium ad hoc ipsum excitantis, Græ-  
cam addidit, ad studiorum suorum utilitatem,  
ut par esset in utriusq; lingvæ facultate. Non  
leviter autem & perfunctoriè, id quod fieri ho-  
diè à multis videmus, Græcarum literarum stu-  
dia tractavit, sed ita commendata sibi habuit,  
ut diligenter & accuratè Græcos scriptores, Pa-  
tres

tres imprimis Ecclesiæ Græcæ evolverit, ut inter alia etiam ritus & ceremonias Orientalis Ecclesiæ familiares sibi redderet, & non facile, quod ad Philologiam Græcam pertinet, quicquam illum fugeret. Quod ut eo facilius consequeretur, maximo studio, quod in Græcis scriptoribus occurrebat, collegit, & excerptis inseruit. Quam Græcæ lingvæ cognitionem non locutione solum Græca sæpius est testatus, sed variis etiam carminibus Orationibusq; Græcis comprobavit, quarum unam publicè hoc in Gymn: habuit. Nec Hebræam ad sacros fontes intelligendos summè necessariam neglexit, sed & hanc summo studio colendam putavit. Et quoniam sacris potissimum studia sua consecraverat, acriori studio Eloquentiam excoluit, quo melius olim è suggestu sacro verba ad populum facere, & animos auditorum ad virtutis studium flectere posset. Specimen edidit oratione solenni de Coronatione Augustissimæ Svecorum Reginae, CHRISTINÆ, quam anno 1650. ipso die coronationis solenni summo cum omnium applausu hic loci habuit. Ligatam etiam Eloquentiam, Poësin dico, imprimis Latinam, à teneris mirum in modum amavit & excoluit, & ea ad mortem usq; mirifice est delectatus. Hinc infinita pene maximæ suavitatis & elegantiae carmina conscripsit, & nulla res egregie gesta, quæ quidem ad aures ejus pervenit, quin suo encomio vel

voto

15  
voto & gratulatione sit persecutus epigrammatibus, eteostichis, poësi Lyrica, heroica & elegiaca: quorum magnam congeriem reperies in manuscriptis Viri beatissimi: habebis ibi Orationem in Gymnasio nostro sermone ligato de pace Westphalica, anno 1648. inita, eodem tempore habitam; habebis, ut de cæteris taceam, lectu jucundissima & utilisima de optatissimo Regis nostri Augustissimi, CAROLI XII. in Esthoniæ & Revaliæ adventu, de abitu ejusdem versus Wefenbergam, & successu armorum: item gratulationes, applausus, omnia bona de stupenda illa Narvensi victoria: varias quoq; mortis meditationes, quæ omnia filio suo nato maximo, DNO M. GEBHARDO SALEMANNNO, Ecclesiastæ ad D. Olai dignissimo, brevi ante obitum manu sua scripta & emendata obtulit Vir beatissimus, quæ ut lucem publicam aliquando videant, dignissima sunt. Institit hac in parte beatissimus vestigiis majorum suorum, ex quibus JOACHIMUS SALEMANNUS, Consul Schlaviensis in hac quoq; arte excelluit maximè, cujus elegantissimum & ingeniosissimum de passione Christi carmen paucis abhinc annis hic loci typis rursus expressum extat. Porro, ut telam coeptam pertexamus, Philosophiam, non contemnendum Theologiæ feliciter tractandæ instrumentū, commendatam sibi habuit, longè alienus à perversa eorum opinione, qui, quando vel in primitiva Ecclesia, vel ho-

B 2

die

die etiam multos Philosophia abuti audiunt, omnem Philosophiam penitus damnandam censent. Nec Mathematica noster studia neglexit, sed sedulo. *Dn. Gebhardi Himselii* Mathematicum Profess. hoc in Gymnasio olim clarissimi ductu sic profecit, ut mathematica instrumenta penè multa suo studio ipse confecerit, & varia in nobili hoc literarum studio non sine prospero successu peregerit. His autem omnibus unum præferebat studium, in quo conquiesceret, Theologicum, exemplo parentis inter alia etiam adductus: quod sic tractavit, ut S. Scripturam intelligere, ex ea veram orthodoxorum sententiam defendere, erroresq; heterodoxorum refutare disceret. Interim siquid ab hisce studiis otii est concessum, non ludicris rebus, verum honestæ recreationi impendit: artem pingendi exercuit, & felicissimè gypsoplasten egit. Pictura sic progressu temporis profecit, ut viros clarissimos semel in suggestu vel cathedra Academica tantùm visos ad vivum expresserit, parentes amantissimos plus vice simplici, aliosque Patronos & matronas, depinxit: quarum rerum monumenta hodieq; pluscula eaq; integra in heredum cognatorumq; manibus versantur, & non sine voluptate visuntur. Gypsum ad varias formas coëgit, ejusq; mollitiem & duritiem benè intellexit, sibiq; animi recreandi ansam ex hac arte sumit. Sic fundamentis studiorum probe jactis ardor

inge.

15  
ingenii solidiora appetiit studia. Anno igitur ætatis 22. svasu parentum & consilio Dnn. Professorum ad Academias se contulit, prius autem studiorum maturitatem disputatione publica, typis expressa, quam sub Præsidio Amplissimi *Dn. Henrici Arningii* Rectoris & Inspect. Gymnasii hic loci habuit, satis declaravit. Placuit Illustris Gieffena, cujus Academiae albo decimo tertio Calendarum Octobris anno 1650. est inscriptus. Hic indefessam Dnn. Professoribus dedit operam, inprimis, quem hospitem acceperat, Theologo consummatissimo, *Balthasari Menzero*; nec non *Fewbornio*, *Haberkornio*, *Mislero*, *Tackio*, *Dietrico*, *Brumnero*, *Ebelio* aliisque, quos privatim non minus, quam publicè frequens audivit, idq; unicè egit, ut ex tantorum Virorum consuetudine in solidioris Philosophiæ adyta, sanctiorisq; Theologiæ sacrarium intromitteretur. Eorum enim conversatione in omni vita est delectatus, eisq; constanter adhæsit, quos eruditionis & præstantiæ fama vulgo exemptos in clarissima luce constituerat. In eadem hac Academia disputationem proprio Marte elaboratam de Vero Transcendentali, Præside jam memorato *Ebelio* habuit. Hic aliquandiu commemoratus anno 1653. Argentoratum concessit, ubi celeberrimorum ejus loci Virorum, *Dorschei*, *Danhaueri*, *Scheidii*, *Schalleri*, aliorumq; doctrinæ fama præstantium, sedulus audi-

B 3

tor

tor in eorum se amicitiam penitus insinuavit. Præ aliis verò limatissimi iudicii Theologum, *D. Johannem Schmidium*, cujus mensa est usus, impensè coluit, lectionesq; & doctas ejus dissertationes quotidie audivit. Hic cum annum & amplius substitisset, Tubingæ aliquandiu commoratus clarissimis ejus Academiæ, quin totius orbis luminibus, *Wagnero, Lansio, Lauterbachio, Pregizero*, innotuisse summo sibi honori duxit. Inde variis urbibus Academiisq;, Altorfio, Jena, Lipsia, in transitu lustratis Witebergam dignissimam artium ingenuarum matrem, ex qua clarissima lux Evangelii in alias terræ partes est diffusa, veniens, quod alibi laudabiliter tractaverat, in eâ feliciter continuavit, & Præsede Theologo celebratissimo, *D. Abrahamo Calovio*, unam ex disputationibus ejusd. contra Arminianos: postea sub Præsidio celeberrimi Professoris *Johannis Erici Oslermanni* disputationem Philologico-Theologicam supra caput IV. 3. primæ ad Timoth. Epistolæ cum applausu omnium defendit. Et cum aliis etiam Professoribus, clarissimis orbis literati luminibus, *D. Johan. Meisnero, Cunado, Wendlero, Buchnero, Sperlingio, Pompejo, Notnagelio*, industriam probasset, præmium ingenio ejus & eruditioni jam diu debitum, & ab aliis etiam Academiis ei oblatum, ab hac Academia lubens accepit: Anno à nato Salvatore 1655. cum Jubilæum Lutheranium

15  
num ob memoriam transactionis Passaviensis celebraretur, in solenni Magistrorum renunciatione, mense Aprili, inter viginti tres competitorum primum obtinuit locum, dexteritatis suæ præmium, Rectore Magnifico *D. Andrea Cunado*; Decano verò spectabili *Johanne Sperlingio*. Publico hoc eruditionis testimonio instructus sequenti anno Lipsiam profectus, magnis ibidem Theologis, *Johanni Hulsemanno, Carpio*, Gejero aliisque totum se tradidit, opera eorum in studio Theologico usus. Summorum etiam Actorum, *Carpio & Finckelthufii*, hospitis, favorem penitus sibi conciliavit, qui omnibus eum officiis sunt prosecuti. Sic quocumque se contulit, illustrissimos convenire viros studuit, à quibus vel doctior, vel melior & prudentior abiret: Inprimis etiam bibliothecis lustrandis rebusque memoratu dignis annotandis operam dedit, ut ingenium omni ratione excoleret. Et jam tempus imminere videbatur quo patriæ etiam, cui se consecraverat, studium grato animo probaret; Rostochium tamen prius invisendum putavit, ubi per tempus aliquod substitit, & *D. Cobabo* hospite electo, eruditissimorum virorum *Dorschei*, cujus in Argentoratensi olim Academia sedulus auditor fuerat, *Varenii, Schuckmanni, & Ledebuhri*, conversatione delectatus. Sed cum cogitationes tandem ad patriam revisendam propius direxit,

15  
rexit, miserrimum ejus statum ex belli & pestilentiae calamitate ortum audiens, aliquandiu adhuc in Germania commorari statuit. Unde Generosi & strenui Viri *Otonis à Wackerbart*, *Mareschalli* in aula Meklenburgica filium, non nullis jam annis in Studio Academico versatum, suae informationi traditum accepit. Sed non longo post tempore à cognatis noster in patriam revocatus, desiderii eorum satisfaciendum putans, anno 1658. XVII. Cal. Aug. feliciter Revaliam appulsus summo cum suorum gaudio est exceptus. Patriae sic redditus suae dexteritatis praemio & novo honore est auctus. Quarto Nonas Septembr. ejusdem anni ab Ampliss. hujus urbis Senatu Diaconus ad D. Olai vocatus, à quo munere pedetentim per omnes ferè gradus ad summa honorum culmina adscendit. Eodem anno nobilissimam & honestissimam virginem, *ELISABETHAM HIMSELIAM*, Nobiliss. & Experientiss. *Dn. Gebhardi Himselii*, Math. Prof. in hoc Lyceo dignissimi, Physici hujus urbis meritissimi filiam matrimonio sibi junxit, quacum singulari suavitate quindecim exegit annos, susceptis ex ea septem liberis, quorum duobus immatura morte abreptis, reliquos florentes vidit, duosq; filiorum ipse postea sacris ordinibus initiavit, natuq; maximum *Dn. M. GEBHARDUM SALEMANNUM*, per annos quosdam Collegam ad D. Olai habuit, id quod in non minima felicitatis parte

parte Beatus posuit. Quo suavius hoc conjugium, eo luctuosior fuit postea obitus dilectissimae conjugis, eo tristior viduitatis status: sed dolorem mitigavit post sesquiennium virgo nobilissima & lectissima, *CATHARINA à THIREN*, quam anno 1674. alteram thori Sociam sibi elegit, eamq; duorum filiorum & totidem filiarum matrem lectissimam vidit, sed anno 1688. tristi itidem funere extulit. Sed ad functiones jam Beatissimi revertimur, qui munere laudabiliter fungens anno 1660. utriusq; Scholae inspectione accepta, novum sibi onus non sine honoris accessione impositum vidit. Quibus officiis summa dexteritate administratis laudatissimam apud omnes existimationem sibi peperit, & subinde novi honoris incremento est auctus: quandoquidem anno 1663. Compastor ad D. Olai est designatus. Quae nova dignitatis accessio industriam sic auxit, ut majori jam cura (si modo in summa fide & dexteritate, quam semper praestitit, accessio locum habere potest) id unice ageret, quod ad salutem gregis sibi commissi pertinere videbatur. Cum sex annis munus id sustinisset, accidebat, ut Maximè Reverendus atq; Ampliss. Vir, *Dn. M. Gabriel Elvringius*, Superintend. meritissimus vivorum consortio subtraheretur. Sed qui acerbitatem luctus solaretur, & desiderium defuncti levaret, *SALEMANNUS* noster dignus reperiebatur, qui in locum defun-

15  
Ati successus, primùm Ministerii urbici Senior est factus: postea anno 1673. Nobiliss. & Prudentiss. Senatus suffragio Superintendens est constitutus, Gymnasiiq; Ephorus. Hanc arenam ingressus in gloria Dei conservanda, Ecclesia propaganda, salute Gymnasii stabilienda omnia studia, curam, operam, industriam, mentem deniq; omnem fixit & locavit, unde nec gravitas rei, nec dolor domesticus ex morte conjugis dilectissimæ, avocare aut retardare potuit. In hoc stadio cum indefesso studio decurreret, & interim anno 1693. Jubileum ob religionem Lutheranam in concilio Upsaliensi ante Seculum stabilitam celebraretur sollemnissimè, CAROLO XI. gloriosissimæ memoriæ Regi placuit, ut in singulare solennis festi ornamentum quindecim Viri de Ecclesia benè meriti Doctoris Theologiæ titulo insignirentur. Jam autem nostri SALEMANNI, beatè nunc defuncti, eruditio & merita in Ecclesiam Regi gloriosissimo innotuerant, propterea dignus est iudicatus, qui & ipse supremos in Theologiâ honores capesseret. Autoritate igitur Regis Augustissimi SALEMANNUS noster, Upsaliæ in ipsa Jubileæ solennitate V. Non. Martii Rege Augustiss. CAROLO XI. aliisque Viris Illustrissimis præsentibus à Reverendissimo *Dn. D. Petro Rudbeckio*, Episcopo Scarensi vigilantissimo, Doctor Theologiæ inter alios solenniter est renunciatus. Qui honor  
pro-

prodromus fuit alterius majoris dignitatis brevi secuturæ, dum eod. anno, post decessionem Summè Reverendi *Dn. D. Johannis Henrici Gerthii*, ipsis Cal. Sept. dirigente Deo, Rege sic ordinante, omni Esthoniæ Clero sic vovente, Esthoniæ Revaliæq; Episcopus est designatus. Holmiam itaq; anno 1695. beatus noster Episcopus profectus, submissa observantia & subjectione Regi Augustiss. fidem præstitit, Upsaliæ investituram à Reverendissimo Archi-Episcopo, *Olo Swebilio* solenniter est nactus. Redux in patriam Ecclesiæ navavit operam indefessam. Quanta enim hæc, ipso Episcopo, ceperit incrementa, res ipsa, me tacente, loquetur. In eo licuit videre exemplar Christianæ vitæ, Ideam veri Theologi & Episcopi, cujus cura, quæ in Ecclesiam irrepserant mala, sunt sublata, & plurima laudabiliter ordinata. Inprimis & verbis & exemplo docuit: Ad cognitionem verbi lumen omnibus doctrinâ; ad cultum Dei vitâ sua facem omnibus præferens. Nil, nisi quod Deus in lege sua mandasset, docebat, & ut alii sequerentur, ipse præibat. Non igitur mirum, quod Ecclesiæ multum profuit. Doctoris exemplo vehementius interdum, quam verbis, moventur Auditores. Lyncurgus, nobilis Lacedæmoniorum Legislator, nullam promulgabat legem, cujus ipse documentum in se prius non edidisset. SALEMANNUS noster vitam

cum doctrina conjungens, talem se præstabat  
Episcopum, qualem Apostolus requirit, irrepre-  
hensibilem, ut divinum dispensatorem decet, sobri-  
um, prudentem, modestum, bene moratum,  
hospitalem, aptum ad docendum, non avarum,  
non turpis lucri cupidum, non litigiosum, non su-  
perbum, sed mitem candidumq;. Sic eluxit in vita  
beati nostri Episcopi vera & infucata pietas, quã  
nihil illi prius fuit aut antiquius. Huic virtutum  
omnium Reginæ ita sese addixerat, ut indivulso  
nexu ipsi velut copulatus in ejus complexibus di-  
esq; noctesq; hæreret, sciens, illam ad omnia ef-  
se utilem, eaq; in animo accensã, cætera omnia  
felicius successura. In ea sic elaboravit, ut omnes  
temporis gradus, omnem vitæ partem, pueritiæ  
innocentiam, adolescentiæ vigorem, juventutis  
florem, virilis maturitatis robur, & ipsos quoq;  
senectutis canos consecraret Deo. Hæc beati  
Episcopi pietas singulari quadam humanitate &  
animi submissione erat condita. Erat enim hæc  
quasi peculiaris illi felicitas, ut auditorum suorum  
animos humanitate flecteret, magisq;, quam a-  
lius quisquam intempestiva severitate & austeri-  
tate, vinceret. Agesilaus sola humanitate mul-  
tas urbes inexpugnabiles in potestatem suam re-  
degisse dicitur Xenophonti. Beatus noster Præsul  
multorum animos ferro & adamante duriores ac  
fermè inexpugnabiles sua humanitate movit. Ipsi  
namq;

15  
namq; innata erat suavitas quædam, ut undeqvãq;  
amabilis, commodus, comisq; omnibus esset.  
Nunquam durus, nunquam dirus, nunquam exi-  
stebat morosus, ut verè dixeris, Eum sacri ordi-  
nis delictum, à cujus facie nullus unquam disces-  
sit tristis, qualem abire à se neminem debere, Im-  
perator ille Romanus, ab humanitate maximè  
commendatus dixit. Literarum imprimis com-  
mercium nulli unquam negavit, sed prorsus faci-  
limum se semper omnibus præbuit. Hinc tota agmi-  
na Virorum Clarissimorum, Politicorum, Theo-  
logorumq; invenies, qui Virum hunc literis adie-  
runt suis, verum nullus fuit, quem non prima  
quaq; occasione responsione dignatus fuerit. Sub-  
missione animi summã Invitus honores adiit, &  
majores subinde oblatos, vel fugere ausus esset,  
si per salutem publicam & superiorum autorita-  
tem licuisset. Sed quo magis fugiebat honores,  
eo magis illum seqvebantur. Sic ad Episcopatum  
expetebatur, quem honorem libenti prorsus ani-  
mo aliis relinquere volebat: omnibus autem Cle-  
ri votis illum expetentibus, & S. Reg. Majestate  
sic volente, provinciam istam modestè suscipiebat.  
Primus autem erat, qui ex urbe nostra oriundus,  
& ex ministerio Urbico istud honoris fastigium  
attingebat; & inspectionem sacrorum urbicorum  
directioni sacrorum provincialium adjungebat.  
Sic augebatur honor, augebatur etiam cum ho-

nore onus & labor, in quo tamen perferendo in-  
usitatam animi constantiam adhibuit. Nulla  
hominum malitia, nulla contumacia eum deter-  
rebat, sed intrepidus insistebat docendo & mo-  
nendo. Non itaq; mirum, quod adversus illum  
nil valuerint Diaboli insidiæ, malignantium co-  
natus & corruptelæ carnis: omnium namq; insul-  
tus verbi divini clypeo elidebat. Et quid de pa-  
tientia in adversis dicam? quæ tanta fuit, ut, li-  
cet variis in hac miseriarum valle fuerit afflic-  
tus calamitatibus, animum tamen constantem & im-  
motum retinuerit, in benigna Domini voluntate  
unicè acquiescens. Cum duas sibi conjuges eri-  
pi videret, cum duas adultas filias virgines, for-  
ma & virtute præstantes, generumq; virum Cla-  
rissimum paucis ab hinc annis, ipse, jam annis  
confectus eodem funere efferret, semper idem,  
verba Salvatoris in ore habuit: Fiat volutas tua.  
Quid? cum corpus ejus gravissimis interdum  
morbis tentaretur, quis æqviori ferre animo po-  
tuit? Dicendum nunc etiam esset de aliis virtuti-  
bus pluribus, quibus ejus vita fuit illustris; sed cum  
ruat hora, & virtutes illæ in luce positæ, per se  
radiant, multa sunt animo reservanda, & ad exi-  
tum est properandum.

Ad decrepitam igitur ætatem laudabili hac vi-  
ta provectus adeo mori non timuit, ut fragilitatis  
humanæ haud immemor mortem ubiq; sanctè  
me-

15  
meditaretur. Stabat ergo in excubiis, & mor-  
tem quotidiè imminentem videbat: quam ut ex-  
pectabat; ita generosa quoq; mente contemne-  
bat. In Domino igitur suo acquiescens, totum se  
ei tradebat, vivus & mortuus ejus futurus. Donec  
tandem Dominica Sexagesimæ monitor æternita-  
tis morbus adveniebat, qui Senem lecto affige-  
bat. Cum autem morbus in dies cresceret, nec  
medicinâ ab artis ejus peritissimis adhibitâ, pristi-  
næ vires redirent, sed indies magis magisq; de-  
crescerent; prospiciendum sibi de cœlesti viatico  
ratus est, quo etiam VI. Non Mart. salutariter est  
refectus, & post ea tempora omnibus rerum  
temporalium curis solutus, divinis unicè medita-  
tionibus intentus, liberationem ex hac ærumna-  
rum valle expectavit. Seqventi ergo die Domi-  
nica, V. Non. Martii cum domi cantilenas & pre-  
ces suorum moribunda etiam voce esset secutus,  
vespere, plerisq; liberis & cognatis adstantibus,  
post horam octavam ex hoc vanitatis hospitio ad  
æternæ gloriæ domicilium emigravit, & ita omni-  
bus ideam sui colendam imitandamq; reliquit: suo  
autem discessu dolorem in nobis excitavit gravis-  
simum. Dolet namq; Ecclesia, quæ tanto Anti-  
stite & Patre est spoliata. Dolet ministerium, quod  
capite suo destitutum. Dolet hoc Musarum Ly-  
ceum, quod defensore suo est privatum. Dolet  
domus, patre orbata. Dolent tandem optimi  
quiq;

quiq; , quod tanti Viri suavitate frui amplius non  
possint. Et quis est, quin ejus mortem doleat?  
Doleamus verò ita, ne gaudia ejus turbemus: ita  
obitum deploremus, ne vitam Beato invidere vi-  
deamur. Laudemus autem Dominum, qui tan-  
tum Doctorem tamdiu his terris concessit, eun-  
demq; supplici oremus mente, ut Ecclesiæ suæ  
naviculam benignè tueatur, & omne damnum ab  
ista avertat: ut etiam hæc nostra Civitas &  
Provincia parem in isto munere  
videat Successorem!

D I X I.



beständige <sup>Die</sup> Liebe Christi  
<sup>so er</sup>  
gegen seine Gläubige /  
auch mitten unter allen ihren Trübsahlen hat /  
<sup>Be y der</sup>  
volkreichen Beerdigung  
<sup>Des</sup>  
Weiland Wol-Ehrwürdigen / Groß-Achtbahren  
und Wolgelahrten  
H E R R N  
Johannis Wildenheims  
Seugewesenen Pastoris der Christ-  
lichen Gemeine zu Friedrichsberg  
für Gottorff  
Aus dem IX. Cap. v. 35. 36. 37. 38. 39. des  
Briefes an die Römer /  
Anno 1696. den 24. Junii am Johannis Tage /  
fürgestellt  
von  
Caspar Hermann Sandhagen / Gen. Sup. allhie /  
und auff Begehren der Hinterlassenen zum Druck  
gegeben.  
Schleswig / gedruckt bey Lorenz Eckstorff / Hochst. Hof-Buchdrucker